QVÆSTIO MEDICA
CARDINALITIIS DISPVTATIONIBVS MANE DISCVTIENDA
IN SCHOLIS MEDICORVM, DIE IOVIS XXXI. MARTII
M. MICHAELE TOVTAIN Doctore Medico, Moderatore.

867

Est-ne frugalis victus profuso salubrior?



V Æ vitam adferunt tuenturque causæ, eæ ipsæ mortem atque exitium accersunt: Illa scilicet in caloris & humoris societate arctissimâque coniunctione posita est; hinc naturalis calamitas, & singulis quæ vitâ fruuntur lex imposita, necessitasque moriendi, à quâ vendicare quemquam ne quidem Ars medendi nobis divinitùs data potest: calor enim sensim id ipsum quod conglutinavit opificium dissolvit. Intestinæ huius infœlicitatis causæ sunt nativa siccitas & indesinens substantiæ fluor ab inquilino illo hoste ἀεικινήτῳ. Nempe vt oleum lucernæ flammam fovet, nec vnquam extinguitur nisi deficiente fomite, sic tandiu secundum naturæ leges vivit animal, quandiu nativus calor humidi sui consortio iucundè fruitur; eò autem absumpto corruptio contingit mixtis omnibus communis. In eam perniciem non æquo pede ruunt omnia: Qui ab initio maximè sunt humidi extremam illam siccitatem tardiùs attingunt: Calidiora autem corpora ὠκύμοροι sunt: In primâ enim ætate mox quasi momento medium humiditatis & siccitatis habitum possident, in ipso vigore senio marcescunt.



R O triplicis huius substantiæ iacturâ triplici alimento est opus vnicuique familiari, cibo, potu, spiritu: cibo quicquid solidioris substantiæ effluxit reficimus; quicquid humidioris, potu: aëreæ autem & igneæ substantiæ modum respiratu & arteriarum ope tuemur. Horum vnumquodque quia naturæ nostræ valde dissimile, non potest planè in substantiam mutari, minimeque nobis assimilari nisi variè mutatum & à nativo calore subactum: id autem, benignum licet & purum, tale esse nequit quale ipsum quod effluxit: ideo in omni alimento altera est portio substantiæ nostræ similis & idonea ad corpus alendum, altera discrepans & inepta quæ in venoso genere aut toto corporis habitu cumulatè congesta & coacta excrementorum proventum suscitat præmaturæ mortis sobolem, obturat, putret, cumque acrior & calidior evasit inflammationes accendit, tumores profert, atque morborum pene omnium parens est. Hanc movet camarinam ciborum ac potuum intemperantia, quæ quò profusior eò vberior retrimentorum colluvies.



ICTVS ratio alimentorum administratio quædem est; quæ triplex, moderata, exuperans, & deficiens. Prior tantumdem reponit quantùm effluxit, vires in eodem statu conservat, innati caloris substantiam & temperiem tuetur, excrementis modum adhibet. Exuperans profususque victus saginat & molem amplificat: sed lubricus est & periculi plenus sive vasa copiâ distendat, sive vires imbecillas premat. Deterior omni fame sagina, magnam quippe colligit vim excrementorum, vnde calori nativo certa pernicies impendet; morbique, etiam ex calidis cibis, frigidi suscitantur. Deficiens victus copiâ vel qualitate vel frequentiâ cibi definiendus, vires non mediocriter minuit, præsertim tenuissimus, qui in solis acutis morbis locum habet. At frugalis seu moderatus, qui ex modicè ingestis cibis semi-saturum hominem è mensa discedere docet, salubris admodum est: crudos enim humores coquit & emendat, tenues dissipat, obstructiones expedit, corpus pervium patensque reddit, omnium excrementorum vacuationem promovet. In sanis & ægris modus omnium optimus, immoderatio quæq; fugienda: tuendæ siquidem sanitatis præcipua ratio est non satiari cibis. Vt enim copia ciborum coctionem interpellat ipsisq; humoribus quandam quasi labem aspergit, sic parcior cibus naturæ gratior acceptiorq; est, ab eâque cómodiùs conficitur.



AC sola frugali diætâ primi parentes diutiùs & salubriùs vixêre, nullo quippe profuso cibo vires alebant, sed sobrietate inculpatam vitam tuebantur, ad invictum robur habiles artus firmabant. Veteres Romani ita frugalitate fuere insignes vt solâ aquâ & parco victu per multa secula prolixiùs vixerint. Salubris Persarum mensa, quæ tenui victu naturæ desideria explebat, vt salaribus distendi epulis nemini liceret. Annon Siculorum symposia (apud quos Ἀδηφαγίας templum) Atheniensium conviviis tutiùs postponenda? Equidem Democraticæ mensæ quàm Satrapicæ & Luculleæ pluris debetur. Platoni non alia erant obsonia quàm sal, olivæ, caseus & quædam olera, vnde quos cœna exceperat in posterum etiam benè habebant. Galeno fuit inoffensa sanitas quoties ad satietatem nunquàm comedit aut bibit. Ad Zenonis igitur parsimoniam lurcones & comedones relegentur, qui ad faces & cereos viventes parco & simplici victu vti doceantur: In tantâ enim alimentorum copiâ varia esculenta obsoniorum artes offeruntur gulæ irritamenta, cruda coctis miscentur, assa elixis, hocq; cibo multiplici & dissimili in ventriculo promiscuè affatim congesto nutritia labefactantur organa; & singularis quædam nascitur putredo dum alia citiùs alia tardiùs coquuntur & in corpus distribuuntur: vt verè illud videatur esse dictum, pluribus intemperantiam quàm gladium perniciem attulisse.



D victus rationem tùm sanis tùm ægris probè instituendam, temperies, ætas, anni tempus & consuetudo cognita esse debent. Calidis & humidis naturis plurimo sanguine refertis ea vitæ lex competit quæ parcior est, ad plethoram minuendam quæ ad putredinem proclivis est: Pituitosis commoda maximè est frugalis vita; Melancholici à cibo diutiùs abstinent quia minùs appetunt: Solis biliosis aduersatur inedia, quam etiam impura corpora ægrè quamvis tutò ferunt. Pueris licet copiosior cibus conveniat, ob caloris plura & celeriùs conficientis robur, ab hoc tamen graves iis inferuntur noxæ, cruditates, vomitus, diarrhœæ, similesque humidi & putridi affectus: Adolescentes temperati similem postulant victum: Qui parcior iuvenibus est concedendus: Senibus quibuslibet profusa nocet diæta. Hyeme multa sed raro sunt offerenda: Vere, vt in habitu plethorico, pauca & raro, siquidem venæ tunc multo sanguine turgentes vacuatione indigent: Æstate sæpiùs sed in minima quantitate: Autumnus, quia inæqualis, variam quoque vitæ rationem postulat. In omnibus quæ sunt assueta sine damno non mutantur: sed gaudeat qui didicerit parvo contentus vivere: is profectò & corpore & animo sanus diu fœliciterque deget.

Ergo frugalis victus profuso salubrior est.

 314.

Proponebat Lutetiæ ISAAC RENAVDOT Iuliodunensis. A. R. S. H. M. DC. XXXIX.